



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum**

**Reutlinger, Ignaz**

**Augustæ Vindelicorum, 1716**

**VD18 10508716**

Casus Ex voto Religionis abeuntis in Novitiatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40059**

ait Suarez, rectè dicit D. Thomas, juramentum factum principaliter in honorem Dei, licèt fiat secundariò homini, id est ob benevolentiam ejus, vel quasi adhibendo etiam illum ut testem promissionis Deo factæ, non posse condonari à tali homine; & ratio est clara, quia non est homo, cui fit promissio, sed Deus, homo verò est quasi testis, seu incentivum promissionis; talia dun-

taxat juramenta Deo facta, asserit D. Angelicus, non posse remitti ab homine, ejusque adducit exemplum: si quis juratò promittat alicui, se intraturum Religionem, quod cum Suarez nos non negamus. Verùm hoc modo nec nos Doctorem Angelicum nobis adversarium, nec pars adversa sibi faventem habet, nobisque immeritò objicit ejus Authoritatem.



## CAUSA SECUNDA DISSOLVENDI SPONSALIA.

Ingressus in Religionem,

### QUÆSTIO PRIMA.

Quid per ingressum in Religionem intelligatur?

#### C A S U S

*Ex voto Religionis abeuntis in Novitiatum.*

Arnoldus proximè celebraturus nuptias cum Mariamne sibi desponsata, mutatâ subitò mente, animum vertit ad statum Religiosum

Religiosum, in qua voluntate ut firmiùs perfliteret, propositum Religionis ingressum voto insuper edito confirmat, ac paulò post enixis precibus admissionem impetrat, unde relictâ Sponsâ Religionis tyrocinium subit,

Q. 1. An, necdum secuta professione, solo ingressu in Novitiatum sui Sponsi Mariamnes evaserit libera à Sponsalicio contractu, ut alteri potuerit nubere?

2. An etiam votum ingrediendi Religionem solvat Sponsalia de futuro.

## SYNOPSIS.

1. Per solemnem professionem Religionis solvuntur Sponsalia priùs contracta ex utraque parte.
2. An idem præstet solus ingressus in Novitiatum? Refertur triplex Sententia. Prima asserit, ex neutra parte solvi.
3. Altera opposita docet, solvi ex utraque parte Sponsalia.
4. Probabiliùs dissolvuntur ex parte illius tantùm, qui manet in saeculo, non verò ex parte ingredientis Religionem.
5. Solvuntur argumenta primæ, & secundæ Sententiæ.
6. Etiam si fuerint juramento firmata Sponsalia, potest alterutra pars Religionem ingredi, neque tenetur Sponsus priùs contrahere Matrimonium, nisi ob speciales circumstantias consulere debeat honori Sponsæ.
7. Votum ingrediendi Religionem eo modo dissolvit Sponsalia, ut actualis ingressus.

1. Quòd

I.



Uod Sponsalia de futuro prius celebrata ex parte utriusque dissolvantur per solemnem professionem alterutris emissam in Religione approbata, certum & evidens est, ut manifestè constat ex *c. Verùm post consensum, & c. Ex publico. De Convers. conjug.* ubi expressè statuitur, licere etiam in ipso actuali conjugio ante Matrimonij consummationem, altero invito, Religionem ingredi, & ei, qui remansit in sæculo, licitum esse post hujus professionem ad secunda vota transire; idemque in Tridentino quoque Concilio est definitum Sess. 24. de Sacram. Matr. Can. 6. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem alterius conjugis non dirui, anathema sit.* Si igitur per professionem solemnem dissolvuntur Sponsalia de præsentis, sive ipsum Matrimonium ratum, à fortiore per eandem dissolvuntur Sponsalia solum de futuro.

2. Quæstio nunc est præsentis casus, an dissolvantur Sponsalia solo ingressu in Religionem, sive Novitiatum, necdum secuta professione, an verò expectandum sit, donec ista sequatur, & vota solemnia Religionis emittantur?

Triplex est circa istud quæsitum Sententia, Prima negat absolutè,

Sponsalia dirimi sive ex hac, sive ex altera parte per solum ingressum in Novitiatum, unde vi hujus Sententiæ uterque Sponsus manet adhuc obligatus ex inito Sponsalium contractu, quemadmodum obligatus fuerat ante Religionis ingressum, & si Novitiatum deserat, atque ad sæculum revertatur, tenetur uterque servare fidem Sponsalium, debetque expectare pars altera, donec iste vel redeat, & sic Sponsalia impleantur, vel professionem emittat, ut sic libera evadens pars relicta possit cum alio contrahere. Citantur pro hac Sententia apud Sanch. *L. 1. disp. 42. n. 1.* Durandus, Paludan. Viguierius, Armilla, eamque Petrus de Ledesma *de Matr. q. 4. art. 3. dub. 2.* uti & Sanch. dicit esse probabilem. Ratio ipsorum est, quia per ingressum in Religionem adhuc neutra pars renunciat juri per Sponsalia acquisito: non remanens in sæculo, ut per se patet; sed neque ingrediens in Religionem statim juri suo cedit, quia ingreditur, ut experiatur, an sibi expediat in tali Religione profiteri, an verò contrahere Matrimonium.

Confirmatur. Vota ab ingrediente emissam ante Religionis ingressum non solvuntur per ipsum ingressum, nisi professio subsequatur, sed durante probatione manent veluti suspensa, usque dum Novitius aut professionem emittat, & sic omnino dissolvuntur; vel redeat ad sæculum,

culum, & sic iterum convalescunt, denuoque obtinent suum robur: igitur pari modo Sponsalia anteedenter contracta per solum Religionis ingressum non statim dissolvuntur, sed suspenduntur, donec sequatur professio.

3. Altera Sententia est omnino opposita, nam docet, per ingressum in ipsum Novitiatum Sponsalia dissolvi ex utraque parte; tam manentis in sæculo, quam ingredientis Religionem. Ita Sanch. L. 1. disp. 42. n. 5. Bonac. q. 1. de Sponsal. pu. 5. n. 2. Dicastillo disp. 1. de Matr. dub. 32. n. 435. & seq. Fagund. L. 2. in Decal. c. 17. n. 6. Sylvest. V. Sponsalia q. 10. cas. 2. Card. Toletus L. 7. c. 17. quamquam hi duo postremi non satis distinctè doceant, quòd ea solvantur ex utraque parte, passim tamen pro hac Sententia citantur. Ratio istius assertionis est, 1. quia sicut se habet professio ad Matrimonium ratum, ita se habet Novitiatum ad Sponsalia, quia sicut Novitiatum ordinatur ad Monachatum, ita Sponsalia ordinantur, & sunt via ad Matrimonium: ergo quod operatur in Matrimonio Monachatus, seu professio Religiosa, id operatur Novitiatum in Sponsalibus: atqui professio Religiosa dissolvit Matrimonium ratum quoad utramque partem c. 2. De Convers. conjug. ergo Novitiatum, qui est via ad professionem, dissolvit Sponsalia, quæ sunt initium

Matrimonij, quoad utramque partem.

Alterum argumentum est speciosius, formaturque à Dicastillo: Eo ipso, quòd duo contrahant Sponsalia, censetur unusquisque se obligare sub conditione, quòd alter quoque se obliget: ergo cum altero ingrediente Religionem, is, qui in sæculo manet, ex communiore Sententia liber evadat à sua obligatione, etiam necdum secuta alterius professione, alter quoque, qui ingressus est, liber erit, ne Sponsalia claudicent, & obligatio persistat solum ex parte unius, non verò ex parte alterius; quòd est contra rationem Sponsalium verè, & propriè talium.

Addunt tamen Authores istius Sententiæ, hoc verum esse solum tunc, quando Novitiatum ingreditur bona fide, non autem quando ingressus sit fraudulenter, animo nimirum statim iterum egrediendi, sicque defraudandi alterum Sponsum, hoc enim casu non cessat ex parte ingredientis obligatio, quia fraus, & propria culpa non debet patrocinari delinquenti c. Ex tenore. De Rescriptis: neque eligitur hoc casu status melior, sed fingitur eligi: cessat igitur ex parte solius Sponsæ manentis in sæculo obligatio, nam ingrediens renunciavit Sponsalibus, quantum est ex sua parte, quia dolosè ingressus est, ut ab ijs resili-

Q

4. Ter-

4. Tertia Sententia, quæ probabilior mihi videtur, ex parte negat, & ex parte affirmat, nam dicit, non dissolvi Sponsalia ex parte illius, qui Religionem ingressus est, eumque manere etiam tunc obligatum, sicut prius, atque ideo, si à Religione recedat, Professione non secutâ, adhuc obstrictum esse, & ad hoc etiam compelli posse, ut fidem Sponsalium olim datam impleat, si pars in sæculo remanens ita voluerit, & expectaverit, nec interim ad alia Sponsalia transiverit: ex parte alterius verò, qui manet in sæculo, ea dissolvi, esseque ipsum ab obligatione plenè liberum, ita ut possit cum alio, vel alia Matrimonium contrahere, non expectata alterius professione. Ita Laym. L. 5. rr. 10. p. 1. c. 2. n. 2. Palao disp. 1. de Sponsal. pu. 13. n. 3. Perez disp. 9. Sect. 3. n. 5. Coninck disp. 23. dub. 3. Rebellus L. 4. de Sponsal. q. 8. Sect. 6. n. 36. Pirhing n. 50. de Sponsal. Hurtadus disp. 2. de Matr. difficult. 6. n. 21. Engl, Bafæus, Illlung, Less, Præpos. Platelius, Steph. à S. Paulo &c.

Probatur quoad primam partem, quòd non dissolvantur ex parte ingredientis Religionem. Certè non dissolvuntur ex natura rei, ut per se constat, nam potest à Religione iterum recedere, & contracta Sponsalia implere: nec dissolvantur per jus aliquod positivum, quia textus nullus afferri potest, ubi hoc asse-

ratur in Jure; nam licet Jus Canonicum concedat Sponsis potestatem ingrediendi Religionem post Sponsalia, non tamen decernit, quòd Sponsalia per ipsum hunc ingressum dissolvantur; nec licet argumentari, quòd concedatur id ipsum Novitiati respectu Sponsalium, quòd à Jure conceditur Professioni Religiosæ respectu Matrimonij, siquidem in his, quæ dependent à Jure positivo, non possumus statim argumentari ab uno casu ad alium, maxime quando utrinque non est eadem, sed diversa ratio, prout est in Matrimonio, & in Sponsalibus, quippe solemnibus professione in Religione constituit statum perfectionis, quem Religiosus deserere non potest, sed Novitiatus non est status, imò nec via firma ad statum, cum eam assumens prohibitu iterum possit deserere; est ergo ratio, cur dissolvatur Matrimonium in professione Religiosa, qualis non est in ingressu Novitiatus, unde ob istam diversitatem non debet extensio fieri ab uno casu ad alterum.

Probatur nunc etiam secunda pars, quòd scilicet ex parte remanentis in sæculo Sponsalia dissolvantur, quia negari non potest, ex parte illius, qui Novitiatum ingreditur, notabilem fieri mutationem, quæ sanè cederet in grave nocumentum remanentis, si non statim solveretur ab obligatione Sponsalium,

lium, sed expectare deberet, donec pars altera profiteretur, grave etenim onus est, si expectare cogatur toto Novitiatus tempore, & interim abstinere à nuptijs, ad quod subeundum, præsumi non potest, quòd unquam voluerit se obligare: adhuc autem gravius foret onus, si recedentem à Religione deberet postmodum accipere in conjugem, quia is post dimissum habitum jam non aequè aptus est ad nuptias, ac erat ante ingressum, nam ob discessum è Novitiatu contraxit civilem maculam, notamque levitatis, & inconstantiae, passimque habetur pro dedecore apud homines, si mulier nubat ei, qui fuit Monachus Novitius, aut Vir uxorem ducat, quæ recessit à Monialibus: ergo manens in saeculo non tenetur expectare professionem alterius, sed ob notabilem istam mutationem in Sponso statim à Sponsalibus resilire potest.

Accedit, quòd ingrediens Religionem videatur ipse Sponsalibus prius initis tacite, & ipso facto renunciare, imò satis aperte per hoc ipsum significare, se voluntatem suam mutasse; nam vel ingressus est sincero animo permanendi in Religione, vel animo simulato, praecise se liberandi hac ratione à Sponsalibus? Si prius: mutavit suam mentem. Si secundum: fuit infidelis, iterumque adest utrobique mutatio valde notabilis, & sic debe-

bit Sponsa, nisi dicatur statim deobligari, vel nubere ei, qui fuit Monachus, vel ei, qui ipsam decepit, ac despexit, fide Religionem ingrediendo.

5. Ad rationes in oppositum pro prima Sententia sufficere possunt, quæ modò dicta sunt. Nempe negatur, ingredientem non sufficienter renunciare juri per Sponsalia acquisito: & si hoc etiam transmittatur, adhuc est sufficiens ratio, cur dissolvantur ex parte remanentis in saeculo, quia ex parte alterius fit valde notabilis mutatio, ob quam passim asseritur, partem alteram posse resilire.

Ad alterum *c. a. dist. conseq.* ergo etiam Sponsalia tantum suspenduntur ex parte illius, qui Religionem ingressus est. *c. conf.* etiam ex parte remanentis in saeculo. *n. conf.* huic enim accrescit novum onus, si debeat expectare integro anno Novitiatus, & nova difficultas, si deberet nubere ei, in quo est facta tam notabilis mutatio: ergo respectu ipsius Sponsalia non suspenduntur, sed cessant.

Ad argumenta secundæ Sententiæ iterum patet responsio ex probatione nostræ tertiæ conclusionis: negatur nempe, eodem modo se habere Novitiatum ad Sponsalia, sicut se habet Professio ad Matrimonium; quòd enim hæc Matrimonium dissolvat, est statutum in Jure, quòd autem Novitiatum dissolvat Sponsa-

lia, in Jure non statuitur, unde recedens à Religione non minùs tenetur adimplere Sponsalia priùs contracta, quàm teneatur iterum servare vota priùs emissa.

Alterum argumentum ab ipsomet Dicastillo solvendum est; nam is fatetur cum Sanch. *n. 436.* non solvi Sponsalia ex parte utriusque, quando alteruter è Sponsis non bona fide, sed dolosè Religionem ingreditur, animo statim iterum exeundi, tunc enim, ait, non debere huic propriam suam fraudem patrocinari: ergo agnoscit, quòd possit tolli ex parte unius obligatio Sponsalium, quin etiam ex altera parte tollatur. Idem patet in pluribus exemplis, nam juxta communem Sententiam, quando alteruter è Sponsis commisit fornicationem, pars innocens, si velit, potest resilire, quin in altero obligatio Sponsalitia cesset; & ne dicat, hoc ideò fieri, quia commisit delictum, quod ipsi patrocinari non debet, id ipsum contingit, quando supervenit notabilis quadam mutatio, v. g. Sponsa fit deformis, contrahit lepram, morbum caducum, incidit in egestatem &c. in his, & similibus casibus non eo ipso quidem nulla sunt Sponsalia, nam, si velit, potest cum Sponso, vel Sponsa etiam sic affecta, vel fornicaria pars altera contrahere nuptias, atque ita perdurant in suo vigore Sponsalia, dissolvuntur tamen in actu primo, in quantum pars altera libertatem ha-

bet resiliendi, cum nunquam intenderit pro istis quoque casibus se obligare.

6. Duplex nunc restat dubium, I. An, quando Sponsalia juramento fuerunt confirmata, possit nihilominus Sponsus desertà Sponsa Religionem ingredi, & an per hunc ingressum Sponsalia etiam jurata dissolvantur modo explicato? <sup>2<sup>dum</sup>.</sup> dubium est, an votum assumendi Religionem idem efficiat, quod actualis ingressus?

R. Ad primum. Etsi complures doceant, quando Sponsalia sunt juramento confirmata, non posse partem alterutram Religionem ingredi, nisi priùs promissum Matrimonium contrahat, ut hoc modo juramentum adimpleatur, cujus Sententiæ sunt Rebellus *L. 4. q. 8. sect. 6. conclus. 2.* Navarrus, Ledesma &c. quorum aliqui id dicunt esse de præcepto, alij duntaxat de consilio, nihilominus

Dicendum, etiam non contracto priùs Matrimonio posse ipsum Religionem ingredi, quamvis Sponsalia jurata fuerint, & hac ingressu Religionis modo superiùs explicato dissolvi. Ratio est, quia Sponsalium promissioni inest hæc tacita conditio, nisi ea contrahens perfectiorem statum Religionis elegerit: sicut ergo juxta communem non obstat promissio Sponsalitia, quo minùs possit v. g. Sponsus amplecti Religionem, ita neque obstat, ut hoc agat



agat apposito Sponsalibus juramento, nam juramentum additum contractui, sequitur naturam, & conditionem ipsius contractus, cui adheret *c. Quemadmodum. De Iurejur.* igitur non inducit majorem obligationem, quam ipse contractus, in cujus confirmationem adjectum est, atque propterea cessante obligatione Sponsalicia cessat quoque obligatio juramenti, quod factum est in confirmationem contractus Sponsalitiij, consequenter etiam si Sponsalia jurata fuerint, cessat eorum obligatio ex parte remanentis in saeculo, non vero ex parte ingredientis Religionem; nec tamen imponenda est huic obligatio, ut ante ingressum prius contrahat Matrimonium cum sua Sponsa. *Perez disp. 9. sect. 5. Palao disp. 1. de Sponsal. pu. 18. n. 5. Sanch. L. 1. disp. 43 n. 3. Coninck, Pontius &c.* Excipitur tamen casus, si fortassis v. g. Sponsa multum inte sit, ut Sponsus Matrimonium cum ea prius ineat, quia aliter famae, & honori feminae ab ipso cognita consuli commodè non potest, tum ut proles ex ea nata legitime-  
tur.

7. Ad secundum idem prorsus respondeo, in primis licitè posse à Sponsis tale votum emitti, etiam si Sponsalia juramento firmata

sint, quia potest licitè v. g. Sponsus Religionem ingredi, & in ea profiteri: ergo licitè potest illam quoque vovere, præcendendo iterum à circumstantijs, si Sponsa non fuerit sub promissione Matrimonij ab ipso vitiata, aliudvé exigat legitimatio prolis ex ea copula natae, hoc enim casu votum Religionis, quatenus cedit in Sponsæ injustum detrimentum, Deo gratum esse non potest, neque obligatorium. 2. Ejusmodi votum emissum post contracta Sponsalia, etsi dissolvat obligationem ex parte remanentis in saeculo, ita ut cum alio nova Sponsalia possit contrahere, non tamen dissolvitur obligatio ex parte illius, qui Religionem vovit, quocirca si fortè in nullo Religioso ordine admitteretur, vel in eo non perseveraret, probabilius adhuc obligabitur, si Sponsa in saeculo remanens expectet, atque ita velit, facta Sponsalia implere. *Pirh. n. 51. de Sponsal. Tamb. tr. 3. de Matr. c. 5. §. 2. n. 7. Perez sect. 5. n. 2. Palao pu. 20. n. 4.* Ratio est, quia non aliter votum ingrediendi Religionem potest dissolvere Sponsalia præcedentia, quam ipse Religionis ingressus: sed iste ante professionem non dirimit Sponsalia ex parte ingredientis: ergo neque votum.

Quaestio